



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Nicolai Cavssini Trecensis, E Societate Iesv, De Eloqventia  
Sacra Et Hvmana Libri XVI**

**Caussin, Nicolas**

**Coloniae Agrippinae, 1634**

54. Helluo: Ex Cic. in Verr.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70090](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70090)

sine vi resistunt, hostesq; dum mucronum noxias observant, contortis lacinis illigant, vt laqueatis resistentium membris equitandi, vel gradiendi adimant facultatem.

Nemo apud eos arat, nec stium aliquando contingit, omaes enim suis sedibus fixis, atque lari, vel lege, aut ritu stabili dispalantur, semper fugientium similes, cum carpentis, in quibus habitant, vbi coniuges ex villis vestimenta contexunt, & coeunt cum maritis, & pariunt, & adusque nutriunt pueros, nullusque apud eos interrogatus, vnde oritur, respondere potest, alibi conceptus, natuque procul, & longius educatus. Per inducias infidi, inconstantes, ad omnem auram incidentes, spei nouae, perquam mobiles totum furori incitatissimo tribucentes.

Inconsultorum animalium ritu, quod honestum, inhonestumue sit, penitus ignorantes. Flexiloqui, & obscuro, nullius religionis, vel superstitionis reuerentia aliquando districti, auri cupidine immensa flagrantes, adeo permotibiles, & irasci faciles, vt eodem aliquoties die a socijs nullo irritante desciscant, aut idemque propitientur nemine leniente.

Hoc expeditum, indomitumque hominum genus externa praedandi auaritate flagrans immani, per rapinas finitimorum grassatum, & caedes, adusque Achaiam peruenit.

Nota.

Telamones, Effigiati stipites, si vocamur Telamones, & Atlantes. Viriuius lib. 6 cap. 10. Item, si qua virili figura signa mutulos, aut coronas sustinent, nostri Telamones appellant. Cuius rationes, quid ita, aut quare non inueniantur? Graeci vero eos ΑΤΛΑΝΤΑΣ vocitant. Atlas enim historicè formatus, sustinens mundum.

H E L L V O.

Ex Cicerone in Verrem.

Descriptio LIV.

ERANT autem continua non illo silentio Praetorum, atque Imperatorum, neque eo pulchore, qui in magistratum conuiuis versari solet: sed cum maximo clamore, atque conuictio: etiam nonnunquam res ad manus, atque

ad pugnam veniebat: Ille enim praetor seuerus, ac diligens, qui populi Romani legibus, quae in poculis ponebantur, obtemperabat: itaque erant exitus eiusmodi, vt alius inter manus e conuictio, tanquam e praetio auferretur: alius tanquam occisus relinqueretur: plerique fusi, sine mente, ac sine vilo sensu iacerent, quiuis vt cum aspexisset, non se praetoris conuictum, sed vt Cannensem pugnam nequitiae videre arbitrareretur.

A F F E C T V S.

A M O R.

Ex Graeco Oppiano.

Ὁβριμ' ἔγχευ' ἄωο Ἐτορι.

Descriptio LV.

A Mor, vt aiunt Poetae, ephelus est, glabellus corpore, vultu speciosus, alis volucer, manu promptus, arcu, sagittis, & facibus armatus. Quin potius affectus est animi in rem amatam, praecipue, vehemens, incensus. Qui, Deus bone: quantus est, quanta machinatur: quantum imperat? & quantum iudit? stat quidem terra firmis de hinc radicibus, & tamen ab eo commouetur: fluunt inquieta maria continuis lapsibus, & ab eo constringuntur. Altum est caelum, & ab eo superatur: profundi sunt inferi, iidem ipsi ab eo penetrantur: in aethere, in aqua, in igne, in terris, infra terras, vbique sui dominatus impressi vestigia: ipsi mehercule mortui eius potentiam reuerentur, sceptrum adorant, formidant imperium. Ad eius ignem Vulcanus fumus est, debilia sunt solis tela, fistilia Iouis fulmina. Crudeles enim habet sagittas, acerbis, ardentibus, igneis, prudentiae corruptrices, furiosas, quae vbi primum cor attingunt, immedicabilem quandam tabem instillant, qua non modo homines, sed & brutae animantes totae liqueunt. Quid cum ipse improuisus instar procellae labitur in pectus, & per oculorum fenestras in cor hominum penetrat, velox, acer, acutus, facibus vndique colucens: lenem flammam medullis, atque ossibus inspirat: quae dolorum aestus, & furores longius inserpens, secum trahit. Hac flos corporis, & vetustas coloris, deperditur, pallox

Z z z

vultus